









J. N. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS <sup>12</sup>  
• JURIDICA. <sup>1687 A.</sup>

DE

ADFIRMATIONE  
SEU CONTRACTU AD  
FIRMAM

QVAM

PRÆSIDE SUMMO

*Ex Decreto ac Autoritate*

Magnifici & Amplissimi in Universitate Argen-  
toratensi Jctorum Collegij

PRO LICENTIA

*Summos in utroq; Jure honores & privilegia  
Doctoralia legitime Consequendi*

SOLENNI Examini proposuit

JOH. FRID. MEDLER. Arg.

*ad* D. Aug. M DC LXXXVII.



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.



48

A. D. 1711  
S. M. C. H. A. T. I. O. N. E.  
S. E. I. C. O. N. T. R. A. C. T. U. S.  
C. H. E. M. I. A. M.

Pro Doctoro et Pharmaco  
Magistro et Archidivo in Universitate  
S. M. C. H. A. T. I. O. N. E.

PRO LICENTIA  
S. M. C. H. A. T. I. O. N. E.  
S. E. I. C. O. N. T. R. A. C. T. U. S.  
C. H. E. M. I. A. M.

JOH. FRID. MEDLER. Aig.  
S. M. C. H. A. T. I. O. N. E.

Magistro et Archidivo in Universitate  
S. M. C. H. A. T. I. O. N. E.  
S. E. I. C. O. N. T. R. A. C. T. U. S.  
C. H. E. M. I. A. M.





Procemium.

**V**ulgo, veritatis pessimo Interpreti, solenne ferè est, propter abusum rei alicujus, rem totam planè improbare: nec enim tam felix est major pars hominum, ut benè ac prudenter expensa re, sciat accuratè usum rei ab ejus abusu sejungere: sed uti conceptus mos est, ut unusquisque mavult credere, quàm judicare, ita certa via veritatis indaganda se incedere putat, si ea sequatur, quæ magno assensu recepta sunt, quorumq; exempla multa sunt: quod quanta remora veritatis sit, non satis exprimi potest. Quippe non tam benè (verba sunt Senecæ libr. de vita beata) cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, argumentum pessimi, turba est. Quæ si quis amplius per argumenta, deducere vellet, abundaret certè feliciter materia dicendi. quod ego tamen hic non ago. Tantum in ingressu notare volui, Contractum in hac Dissertatione propositum istam censuram vulgi etiam incurrisse: cum quæ fortuita atq; externa erant, ipsi rei imputabantur: atq; sic, quæ extrinsecus saltem negotio accidebant vulgus intuebatur; quod in rebus benè rectèq; definiendis minime faciendum puto. Ego uti hæctenus dissenso à vulgo, ita materiam dignam judicavi, quæ incertas theses redacta, publicè examinanda proponeretur. Cum enim post peracta, Deo adjuvante, Examina Doctoralia, de elaborando themate quopiam juridico, publico deinde Eruditorum judicio subjiciendo, meditarer, atq; animus in



tam vasto pelago materiarum haud paulisper fluctuaret, tandem in jam propositam consensit. Cum viderem ejusdem considerationem non sine utilitate processuram esse, quod illa hodie satis crebro in usu, imprimis in Gallia sit, & in hac Civitate etiamnum frequentius introduci cœperit. applicui itaque animum ad illam atq; ad analogiam juris moresq; novissimos istam exegi: quo successu Benevolo LECTORI judicandum committo. Cujus favorem animi statim in exordio mihi conciliare, mei officij ratus sum, ut si fortè quaedam parum recte dixi, candore atq; dexteritate sua ista sublevare velit.

THESIS I.

**D**E Adfirmatione itaque seu Contractu ad Firmam acturo, non abs re fuerit, ad rationem nominum indagandam primo loco animum intendere. Cum enim nomina nihil aliud sint, quam demonstrationes voluntatis dicentis, & significandarum rerum gratia inventa sint. l. 7. §. 2. D. de supel. leg. §. 29. Inst. de leg. ut hæ scilicet per ista tanquam signa intellectui nostro repræsententur atque objiciantur: nihil sane aut parum effeceris, in tractandis rebus, si prius rationem nominum habere, & ambiguitates terminorum tollere superfedisti: sed potius Lectorem difficultatibus atque in certitudini implicaris, sicquè rem totam obscuritatibus involves. quæ inconvenientia ut ego feliciter evitarem, prius de nomine Adfirmationis & Firmæ videndum mihi duxi, unde dicantur & quo sensu potissimum hic veniant.

II. Adfirmatio alias purè latina vox est, ex ad conjunctivo & Firmatio, quasi accedens Firmatio, in genere denotat quamcumquè assertionem, qua rei veritatem nudè indico, ut nudas quoque & simplices enuntiationes complectatur. Specialiter verò sumitur pro illa quæ cum promissione conjuncta est e. g. qua quis idoneos fore tutores promisit, qualis adfirmatio effectum stipulationis atque obligationi fidejussoriæ similem producit l. 4. §. ult. D. d. fidej. & nom. Hoc loco vero hybrida est & latino barbara: conflata ex ad translativo & Firma quod præsta-



præstationem fixam denotat, quasi ad *Firmam concessio*, & accipitur pro *certa specie Contractus*; quo sensu licet terminus *Adfirmationis* in legibus non occurrat, non tamen incongruè ille actus & negotium quo aliquid ad *Firmam* conceditur, adfirmatio appellatur, plane ad exemplum Doctorum quibus similiter admodiatio dicitur hoc pactum quo quis ad certum modiorum numerum præstandum obligatur quo de *Contractus* nomine videri potest D. D. Tabor in *Disp. de admodiat. C. 2. th. 1.*

III. Ad *Firmam* talis conventio appellatur in j. Can. C. 24. X. de *Decimis. C. 7. X. de jur. patron. C. 2. X. locat.* in quibus capitulis præcipuè sedes est hujus *Contractus*. Unde verò hæc phrasîs sit ambigi potest: aut enim adjectiva & elliptica locutio est, qua subintelligitur solutio seu præstatio: quod scilicet id quod ad *Firmam* conceditur quadantenus instabile infirmum atquè incertum est, per hunc contractum verò quasi firmum fixum atquè certum reddatur: aut substantiva est & tum terminus planè Barbarus est à puriore seculo latini Sermonis abhorrens, moribus atquè jur. Can. imprimis originem debens. Petitur *Firma* à *firmus* quod idem est ac constans stabilis validus, quo modo dicitur testamentum firmum *l. ult. C. d. testam.* quod per leges scil. stabile atque validum est. Hæcquè significatio vocis quemadmodum prima pura atquè propria est, ita illis temporibus quibus multum à puritate linguæ latinæ recessum est, variè torqueri cœpit, eo fato quo quam plurima alia vocabula usurpata sunt, exteris præcipuè nationibus & non apprimè callentibus linguam Romanam, aut sonu captis aut alio errore ductis, ista malè ad sua negotia applicantibus.

IV. Hinc practicis Hispanis *Firma* idem esse cœpit, quod *juramentum* quo actor jurat de bona conscientia & justitia causæ, diciturquè ab illis *Firma juris*, quod latinius magisque juridicè dixissent *juramentum calumniæ*. Scriptoribus Anglicis sæpè denotat convivium & quemcunque mensæ apparatus. Unde dicunt *Firmam noctis* pro cœna & *Firmam diei* pro prandio. In Gallia *Firma* quandoquè accipitur pro prædio s. villa alteri ad certum tempus locata, dicuntquè suo idiomate *ferme*. de quibus & pluribus significatibus vid. plenius Carol. du Fresne. in



*gloss. v. Firma.* Hoc loco idem est quod *certum fixum stabile* quatenus opponitur incerto Cujac. *in recit. ad Cap. 2. X. locat.*

V. Communiter alias hoc genus negotij *Admodiatio* quoque appellari solet. quanquam proprie loquendo *Admodiatio* differat à nostro *Contractu* v. Tabor. *d. Diss. de Admod. m. 2. C. 1. §. ult.* item *venditio reddituum arg. C. pen. X. de jud. & sara-*  
*cen.* Galli dicunt *bailler ou donner à ferme & prendre à ferme.* Germanis sonat *verpachten* aut si cum vulgo loqui mavis *admodieren.* A voce verò hac *Firma* dicitur. *Firmiarius* cui *reditus* ad *Firmam* concessi sunt seu qui eos suscepit Gallice *Fermier.* Hispanis *arrendator,* quasi qui *rentas* uti Hispani vocant *reditus annuos* die *Renten/* ad *Firmam* accepit v. Carol. du Fresne *h. v.* quibus in jure Just. respondere videntur publicani *1. D. de publican. mancipes l. 11. C. de vectigal. redemptores l. 15. D. de publ.*

VI. Sic quali quali explicatione nominali præmissa ad rem ipsam progredior, ubi antequam ad causas atque hinc ortos effectus procedam *Contractum* hunc sic describo, quod sit *conventio quedam, qua redditus incerti pro certa firma atq; fixa quantitate alteri conceduntur.* Secutus hætenus amplissimum & consultißimum Virum D.D. SCHRAGIUM præceptorem meum semper venerandum in *Diss. de Decimis Eccles. §. 8. f.* qua posita definitione statim se prodit *differentia* hujus *Contractus* à *locatione,* ad quam alias quam proximè accedit: in hac enim requiritur, ut merces consistat in pecunia numerata *sec. l. 1. §. 9. D. Depos. l. 5. §. 2. D. pras. verb.* atquè communem analogiam quæ in dubio atquè illis quæ non definita sunt, intercedit inter *locationem & emptionem. pr. Inst. de locat.* In *Contractu ad Firmam* non determinatur quantitas ad pecuniam numeratam; sed & aliæ quantitates, quæ numero pondere & mensura constant admittuntur. 2. In *Contractu ad Firmam* tantum convenitur de *reditibus incertis* alteri concedendis, in *locationibus* verò etiam de certis determinatisve; quin etiam de usu earum rerum quæ præter simplicem usum nullos *reditus propriè* ferunt. Differt porro ab *Admodiatio*ne propriè sic dicta, hujus enim verum & principale objectum sunt *usus & fructus fundi sive prædij, eines Landes oder Feldguts* Tabor. *Diss. de admod.*



*admod. m. 2. C. 3. §. 5.* Ad Contractum *ad Firmam* non præcisè requiruntur redditus fundi sed quicumque. 2. In Admodiatione loco mercedis certa modiorum atquè ita mensuræ quantitas numeratur, solutio enim debet ad modium fieri, uti nomen ipsum importare videtur Tabor *d. Disp. de admod. m. 2. C. 3. §. 1.* in Contractu verò ad Firmam quantitas quæcunque sive numeri sive ponderis sive mensuræ sufficit, adeoque id, quod Firmarius pendere tenetur, in pecunia numerata consistere potest. Differt & tertio *ab emptione venditione* in qua res alienatur, in proposito Contractu verò jus percipiendi redditus atquè sic usus saltem conceditur. Sique dicendum quod res est, noster hic Contractus videtur medium quid esse inter locationem & emptionem, atquè ab utraque aliquid participare. Si enim ipsum consideras ratione reddituum tantum, emptionem sapit, cum tot annorum redditus tanto precio venditos esse recte dixeris: Si verò ipsum spectes ratione juris percipiendi redditus, cum hoc jus non simpliciter alienetur sed tantum usus ejusdem concessus sit locatio rectius dicetur negotium, atquè hinc leges utramque appellationem usurpant: quod enim in *cap. pen. X. de juda. & sar.* vendere redditus dicitur, id in *l. 9. D. de publ. & vect.* nomine locat. venit. sic in eodem rit. qui in *l. 10.* dicuntur Conductores, in *l. 15.* redemptorum nomine veniunt & sic passim.

VII. *Varie dividi potest noster Contractus* 1. *ab Efficiente* in expressum & tacitum arg. *l. 13. §. ult. D. loc.* 2. *ab eff. & object.* simul in publicum & privatum: ille ubi de publicis redditibus Contractus celebratur, hic ubi de privatis. 3. *rursus ab Objecto* in Ecclesiasticum & Civilem: hic ubi redditus civiles iste ubi Ecclesiastici ad firmam elocantur. 4. *à Forma* seu etiam *sine* in perpetuum & temporalem *v. l. 1. §. 15. D. de Exercit. act. l. 10 C. de locat.* 5. *ab eadem forma* in solennem & minus solennem: in illo certæ solennitates observantur, in hoc non æque. Qui solennis utpote majoris momenti atquè frequentioris usus, & qui multa singularia habet, majorem partem considerationis absolvet, cum alter ille minus solennis fere in plurimis cum locat. Cond. conveniat, atquè sic in cæteris, quæ hic non tanguntur, ad illam remittendum est, nunc redeundum ad definitionem.

VIII. Ge-



VIII. Generis loco *Conventio* in Descriptione posita est, sine adjectione, nec enim solennitates verborum nec scriptura, nec rei datio ad talem obligationem perficiendam desiderantur, nisi contrahentes voluerint, ut scriptura tanquam essentielle illam ingrediatur, tunc enim non prius perfecta est, quam scriptura completa & à partibus quoque subscripta sit. arg. l. 17. C. de fid. instrum. Sufficit itaque consensus hæctenus, & quidem expressus, verus enim Contractus est, & quantitas quæ loco pensionis solvitur, debet esse certa. quod utrumquè expressum consensum requirit. quod autem potissimum de ineundo atque noviter constituendo contractu intelligendum: ad continuandum enim si partes utrinquè tempore primitus præstituto elapso tacere, tacitus videtur sufficere, arg. l. 13. §. ult. D. locat. quod verum est etiamsi in quadam specie hujus Contractus certas solennitates observare constitutum sit: non enim nova præsumitur conventio, sed vetus saltem continuatur, ad quam continuationem nulla repetitio solennitatum requiritur, sed primitus observatæ sufficiunt. quod si verò fidejussores ab initio intervenire, per tacitam hanc conventionem non ultra obligantur, sed novo horum consensu opus est d. l. 13. §. ult. add. Cujac. in recit. ad l. 5. C. de locat. Cum factum alterius nunquam debeat nocere illi qui nihil fecit. l. 5. §. 5. D. de nov. operis nunciat. Sed in quot tempora seu annos talis tacita reconductio valere debeat? quæstionis est: Non indistinctè hic pronuntiandum, sed videndum num reditus semel tantum in anno percipiantur, aut saltem inæqualiter: num verò qualibet parte anni & quidem æqualiter. Priori modo in annum aut in tantum tempus, quantum ad utilitatem rei capiendam opus est, tacita reconductio extendenda, ne alias à parte Firmarij inutilis esset: posteriori modo non ad certum tempus adstringuntur, sed quamdiu tacere, & prout alter usus est, eatenus renovatio judicatur. v. Bart. in l. 13. n. 10. D. locat. quantum verò tempus ad tacitam hanc reconductionem sufficiat certo determinari non potest, sed judicis arbitrio relinquatur, & cautè facit qui non vult permanere in conductione, si protestationem atquè declarationem animi sui circa tempus futurum ante finitum Contractum interponat. vid.

Fransk



Fransk. in Com. ad Dig. 1. loc. §. 21. ubi allegat Gomez. pro hac cautela.

IX. Adjicitur in Descriptione quantitatem quæ pro usu solvitur debere esse certam: certioratam nimirum per determinationem Contrahentium absolutam & explicitam, de quo non multum ambigitur: an verò certitudo ista etiam relativè atquè implicite induci possit? id quæritur aff. indistinctè, sive in tertij cujuslibet, sive in unius ex contrahentibus arbitrium res rejiciatur: idem enim est acsi viri boni arbitrium comprehensum esset. arg. l. 24. D. locat. nec obstat, quod posterius attinget quod omnis obligatio non ex voluntate alicujus contrahentium pendere, sed in se necessitatem habere debeat. arg. pr. inst. de oblig. talis verò nulla necessitate teneri videatur, quippe cujus proprio arbitrio res relicta sit. & enim bonam fidem requirere, ut arbitrium tale præstetur, quale viro bono convenit, d. l. 24. Conf. l. 78. cum seqq. D. pro socio. Itaque dici non potest, hujusmodi conventionem nullius momenti esse, quasi positam in arbitrio contrahentis; hujus enim arbitrium non est liberum plane, Sed boni viri hoc est æquitatis præscripto definitum atquè conclusum. Certum equidem est, vim & robur ipsius Contractus in unius contrahentium voluntatem directo poni non posse; quadantenus tamen & tanquam per occasionem posse Connanus. l. 7. Com. C. XI.

X. Sequitur qui Contractum hunc celebrare possunt. De ijs tenenda regula quod omnes possint qui non specialiter prohibentur prohibentur verò primo reliquatores vectigalium antequam superiori conductioni satisfaciant, novam conductionem vectigalium inire, vel priorem iterare. l. 9. §. 2. D. d. publ. & vect. imò quicumquè debitores fisci vel Reipubl. ex quacunque causa sunt, ad vectigalia conducenda non admittuntur: ne scilicet ex alia causa eorum debita onerentur, atquè per hoc fiscus detrimentum sentiat: nisi fortè tales obtulerint fidejussores, qui debitis eorum quæ ante contraxerunt, satisfacere parati sint. d. l. 9. §. 3. d. publ. Tutores quoquè Curatoresve constituti priusquam officij rationes reddant à fisci rebus quicquam conducere prohibentur. l. un. C. ne tutor. vel curat. vect. cond. l. 1. §. 9. D. ad l. Cor. de fals. & quidem ex duplici ratione. 1. favore pupilli,

B

ne





ne scilicet hastenus tutelæ obligatio oneretur ex causa fiscali. 2. propter ipsius quoque fisci utilitatem, ne fortè privilegio temporis in hypothecis prælato pupillo, si tutela nimirum vetustior sit conductione vectigalium, nihil postmodum fisco supersit ex bonis publicani, quo suum servare possit. Cujac. *in recit. ad tit. Cod. ne tut. vel curat.* Limitanda tamen regula quod ita demum qui rationem tutelæ vel curæ nondum reddidit cum fisco contrahere non debeat, si vivat is, cujus tutela administratur, nam si decefferit, licet heredi ratio nondum reddita sit, jure potest contrahere. *l. 1. §. 11. D. ad l. Cor. de falsis.* quod si verò contra legem nihilominus tutores sic conducerant, incurrunt pœnam falsi. *l. 1. §. 9. D. ad legem. Corn. de fals.* qualis tamen pœna locum non habet, si jure hæreditario incidunt in talem Contractum. *l. 1. §. 12. ad l. Cor. de falsis.* Porro hinc arceri debent milites. *arg. l. 31. C. de locat.* sub gravi pœna ipsis militibus imponenda si contraveniunt *l. ult. C. eod.* item Clerici *C. 1. X. ne Clerici vel Monach.* illi ne à civili hi ab Ecclesiastica disciplina revocentur. *dd. LL.* Nec minoribus vectigalia locanda sunt: ne adversus ea beneficio ætatis utantur, *l. 45. §. ult. D. de l. fis.* Nequè impedit quod in locatione rerum fiscalium fidejussores adesse debeant, uti infra ostenderur, adeoque quamvis minores propter ætatem restituerentur, fidejussores tamen adhuc fisco obstricti sint: hoc enim quamvis verum sit: magis tamen Consultum erit fisco, plures habere obligatos quam pauciores vid. Amelungj. *tractat. de locat. rei dominica. p. 48.* Si verò de facto ab administratoribus rerum fiscalium, minoribus locatum sit quicquam de fisco, hic à Contractu resilire potest, nec opus habet restitutione in integrum. modo citatus autor. *d. l.* In filio familias eadem prohibitio locum habet: quod si tamen patrem familias se gesserit, atque sic conduxit vectigalia cessabit Senatus Conf. *Maced. l. 3. §. 1. D. ad SenatusC. Macedon.*

XI. Præterea jure Romano Decuriones ejus civitatis in qua Decuriones erant, vectigalia ad Firmam accipere non poterant *l. 6. §. 2. D. de Decurionibus.* ne quidem per tertiam aliquam personam subjectam *l. 2. §. 1. D. de admin. rer. fiscal.* fieret enim hastenus fraus legi: quod per consequentiam hodie ad omnes



omnes eos pertinet, qui officio publico, & autoritate in Republica pollent. Verendum enim fuerat, ne tales personæ publicæ & Magistratus, potentia & autoritate publica nixi, abuterentur illa, & per modum concussionis, aut potentatus, multas injustas extorsiones committerent; nequè tam facile alij quoquè ad licitationem, quæ in locatione rerum fiscalium moris est, uti infra ostendetur, accederent, sed istorum supercilio detererentur: semper autem fisci interest multos habere licitatores. Eadem prohibitio pertinet ad Rationales, seu eos qui rebus fiscalibus præsumt. *l. un. C. quibus ad Cond. præd. fis. XI.* quod in constitutione CAROLI V. Regis Gallia edita à Vincennes le 13. Janvier. 1224. art. 84. extenditur quoque ad talium personarum cognatos & domesticos, his verbis. *Defendons aux Esleus, qu'ils ne delivrent aucuns de nos fermes à aucuns, qui soient leurs prochains parens, des gressiers ou receveurs ou leurs serviteurs domestiques.* V. hanc constitutionem in Grande Conference des edits Royaux L. X. t. 17. §. 5. Quod si verò tales magistratus Civitatum & rationales reddituum publicorum, alijs qui in tali conductione fuere succedant, eandem libere retinere & continuare possunt. *l. 4. D. de Decur.* De Judæis quoquè cautum, si forte Principes Christiani, redditus suos vel regalia judæis vel paganis vendiderint, ad ea tamen colligenda Christianus non suspectus præficiendus sit: ne fortè judæi hac occasione Christianis cum injuria insultent. *C. pen. X. de judæis & Saracen.* In Gallia olim etiam nobiles tales conductiones sub pœna amissionis privilegiorum & immunitatum nobilitatis prohibitas fuisse testatur Petr. Gregorius. *synt. j. un. l. 27. C. 1.* ne scilicet illi quorum virtute atquè fortitudine Respublicæ defendi debent, per talia commercia lucro assuescerent, atquè sic à virtute & exercitijs bellicis abstraherentur, quæ prohibitio tamen hodie non amplius obtinet, uti expressè probant novissimæ constitutiones Regiæ circa hunc Contractum emissæ. vid. *art. 12. de la bail general au sieur Feydeau. 28. May. 1611.* item, *art. 20. dans la bail general donnée à Montagne l. 30. Decembr. 1645.* in supra allegat. Grande Conferencè L. X. t. 17.

XII. Illud insuper notandum ratione personarum qui hunc Contractum celebrare solent, quod veteres conductores

B 2

novis



novis præferantur, si facta per alios augmenta suscipiunt. *arg. l. 4. §. in fin. C. de locat. præd. Civil. XI.* an verò hæc lex utilis sit fisco? dubitant Doctores, cum hoc modo, non facile alij ad conductionem & majorem licitationem accessuri sint: quippe certi, se in cassum licitare, cum prior conductor semper prælatione præ illis gaudere possit, quam maximè verò interest fisci multos habere licitatores: itaque alij dictam legem aliter interpretantur, nequè huc trahi posse putant, quod loquatur de veteribus conductoribus fundorum publicorum, quales veteres conductores appellari non putant, eos qui redditus publicos ad Firmam conduxerunt, cum non in tam longum tempus ipsis concedi soleant. Quæ ratio tamen vix videtur sufficere, optimum putat Amelung. *in tract. de locat. rei. dominica. p. 78. & 79.* Si dubitatio publica constitutione tolleretur, quem vid. Aliquando & veteres conductores continuare coguntur. Quamvis enim regulariter ad conducendum vectigal invitus nemo compellatur. *l. 9. §. 1. D. de publ. & vectig. l. 3. §. 6. ff. de J. F.* Si tamen quis maximos fructus ex tali redemptione consecutus sit, & postea tanto precio relocari non possint, ipse ea prioribus pensionibus recipere tenetur. *l. 11. §. 5. D. ibiquè Goth. in not. de publ. & vect. l. 7. C. de locato.* per cujus legis introductionem: num fisco consultum itidem? dubitatur; cum eodem modo, uti supra homines à talibus conductionibus, quæ tam graves conditiones habent facile deterreantur. vid. Amelung. *d. p. 78.*

XIII. De numero quot tanquam socij simul admitti debeant, ad ejusmodi redditus publicos emendos? quoniam sæpius collusiones committebantur, uti certè sunt artificiosissimi homines, qui ita lucro student, optime cautum in *Constitutione CAROLI V. R. G. emissa 13. Januarij 1274. art. 190.* verba integra apponam quoniam quam maximè fisci interest eam observari. *Pource- que tresouvent en contrevenant aux anciennes ordonnances, ceux qui ont accoustumé prendre & mettre à prix, nosdits fermes, s'associent ensemble en grand nombre, au moyen de quoy ne se trouvent aucuns ou bien peu d'encherisseurs, à la diminution de nos deniers. Nous defendons à tous ceux qui d'oresnavant mettront à prix nosdits fermes, qu'ils ne puissent associer avec eux aucuns compagnons, ou compagnon, en plus grande quan-*



quantité, si non a une ferme de trois cens livres & au dessous, un compagnon, an celles de six cens livres & au dessous jusque à trois cens livres deux: & depuis six cens livres jusque à mille trois: & au dessus de mille quatre & non plus: sur peine de nous payer la moitié de la somme: à quoy se montera la ferme. v. Gr. C. L. X. t. 17. §. 19. Socij verò tales si separatim partes administrant, alter ab altero minus idoneo, portionem in se transferri jure desiderat. l. 9. §. 4. D. de publ. & vect. alias enim nomine collegæ teneretur, si intervenire & prohibere eum potuit, arg. l. 9. §. 8. D. de administ. rer. ad Civ. juncta l. 6. D. de publ. & vect. & culpæ propriæ imputare debet, qui socium negligentem sibi adjunxit. l. 72. D. pro socio. & arg. l. 1. §. 5. D. de obl. & act. nec pacto effici potest sociorum, quo minus alter pro altero teneretur. arg. l. 2. §. 8. D. de adm. rer. ad civ. Cum hoc vergeret in præjudicium tertij. Actio autem, quæ in socium propterea competeat, ei qui pro altero dependit ex æquitate competet. d. l. 2. §. 9. Ultra actionem quam ex propria persona contra socium suum habet. v. l. 72. D. pro socio.

XIV. Res quæ in hanc conventionem veniunt, sunt omnis generis redditus sive publicij, sive privati, sive Civiles, sive Ecclesiastici, ut vectigalia, l. 7. C. de locat. redditus Salium. l. 11. C. de vectigal. & commiss. redditus ex Cotarijs, l. 15. D. d. publ. & vectig. Census annuus cap. ult. X. ne prelati vices. Decimæ: C. 24. X. de Decimis. redditus ex Cancellaria, (fermiers du Seel) Gr. Conf. l. 1. t. 19. §. 3. Publicani olim quoquè conductum habebant vectigal litium quod fuit quadragesima summarum de quibus litigabatur notante Bocero Class. 4. Diss. 3. thes. 5. in Gallia etiam pœnæ pecuniariæ ita locari solent. Ubi tamen cavendum, ne Firmiarj cum delinquentibus ratione pœnæ, quæ ipsis forte imponi posset, transigant ante judicium vel sententiam. Qua in re rursus prospectum per constitutionem regiam HENRICI II. G. Reg. quæ Parisijs emissa est art. 26. cujus verba ita sonant: *Ayant esté averti que les fermiers de nos fermes des defauts, exploités & amendes, &c. Chevissent traittent & composent avec les delinquans & malfaiçeurs, pour telles amendes qu'on leurs pourra adjudger, avant les jugemens & sentences, & le plus souvent avant qu'il soit informé des crimes & delits, ne que les dits malfaiçeurs & delinquans soient tirez en justice, & en tirent & extorquent des grands deniers, tellement*



tellement qu'à raison de ce les delits demeurent impunis, & les dits mal-  
 faicteurs & delinquans en liberté de faire plus grands maux, sou l'esper-  
 rance d'escapper une autre fois par telles compositions, &c. defendons aux  
 dits fermiers sur peine de punition corporelle, &c. de ne composer avec les  
 dits malfaicteurs avant qu'ils soient jugez. Grand. Conf. l. 9. t. 20. §.  
 8. Denique feudales redditus hoc modo elocari non prohiben-  
 tur, modo ista concessio non sit fraudulenta alienatio. arg. 2.  
 F. 9. §. 1.

XV. Datur *certum pro incerto*, in quo præcipuè forma con-  
 sistit hujus conventionis, & quidem certum illud non præcisè  
 in pecunia numerata, sed & in alijs rebus consistere potest, qua  
 in re differt à locat. Cond. quod jam supra notatum est. Ut  
 si ratione Decimarum præstandarum convenitur, ut non  
 solum certa summa pecuniæ numeratæ sed & simul certa  
 quantitas fructuum illorum, in quibus alias decimæ sol-  
 vantur, numeretur: qualem conventionem hîc Argentinæ  
 Hortulani dictæ urbis cum venerando Capitulo Thomano  
 ejusdem urbis iniere ratione Decimarum dicto Capitulo de-  
 bitarum. Incertum requiritur, non quidem simpliciter incer-  
 tum, hoc enim potius lusus quam Contractus nominandus  
 esset, sed quadantenus & ratione plurium contingentium. Ab  
 initio enim certitudo aliqua communiter ita dicta adest: pos-  
 sum enim, præter propter scire, si exactè inquisivero, in quan-  
 tam summam redditus de quibus convenitur ut plurimum  
 quotannis exsurgant: sed quia multa postmodum accidere  
 possunt, quæ rem mutant, incertitudo aliqua inde inducitur.

XVI. *Scripturam* tanquam essentielle ingredi in hunc con-  
 tractum jam supra negatum: nisi quod scriptura hodie ple-  
 rumquè melioris probationis causa adjiciatur, uti & in alijs  
 contractibus, quæ illam non præcisè requirunt, fieri consue-  
 vit; quod tamen potius pro cautelâ quam necessitate obser-  
 vari meretur.

XVII. *Forma specialis* observari debet in elocandis rediti-  
 bus publicis, ibi enim licitatio intervenire debet, ut qui in  
 illa vicerit vel superando precium vel alias meliorem condi-  
 tionem offerendo eosdem conductos habeat l. 9. pr. D. de publ.  
 & vectig. l. 4. C. eodem l. 3. C. de locat. præd. Civil. XI. Melior autem  
 con-



conditio non tantum est, si precio aliquid additum fuerit, sed & si solutio facilius offeratur aut locus solvendo opportunior nominetur, aut ipsa personæ idoneitas meliorem conditionem spondeat. *l. 4. §. 6. de in diem addict.* Hoc tamen prius per proclama aliquid aut voce præconis denuntiari solet. *arg. l. 3. C. de locat. præd. Civ. XI.* quod idem in Gallia observari probat edictum CAROLI V. R. G. art. 86. quando ita sancitur *Ensuivant les ordonnances anciennes faites sur les faicts des aydes, ordonnons que nosdits Esleus fassent crier & publier par les villes citez & ailleurs, es lieux accoustumez, les fermes estre à bailer par deux ou trois marchez, ou dimanches precedents, le bail des dits fermes.* dictam constitutionem videre potes in *Gran. Conf. l. X. t. 17. §. 7.* Hujus licitationis publicæ verò ratio in promptu est, quod propter talem subhastationem fraudes atque doli magis declinarentur, & res majori precio elocetur, numerus enim licitantium illud mirè augere solet. Ne verò in tali licitatione collusio aliqua committatur idem Rex in eadem constituit. *art. 79. cavit sera dit & exprimé par les Esleus au bail des fermes, si aucuns fermiers, donnoient profit à aucune personne afin qu'il ne tiercast ou doublast lesdits fermes, ou qu'il n'encherisse sur eux, & il venoit connoissance, les dits fermiers payeront tiercement ou doublement, & l'amanderont à la volonté du Roy & aussi ceux qui prendront le profit. G. Conf. l. X. t. 17. §. 1.* Quando jam sic proclamatio aliqua publica præcessit, atque præstituto die licitatores comparuere, tunc negotium quibusdam ceremonijs, uti hodie præprimis in Gallia moris est peragitur, & quidem talis peractio debet fieri in conspectu ipsius magistratus, aut qui huic succedunt. *l. 4. C. nov. vectig. insti.* Secus non valebit. *l. 1. C. de fid. & jur. hast. fisc. X.* Consistunt verò illæ solennitates in eo, quod adjudicatio fieri soleat, signo candelæ extinctæ, à la chandelle esteinte, ou à l'extinction du feu de trois chandelles, uti constitutiones regie loquuntur. Ad primam candelam simplex licitatio sufficiebat, ad secundam triplicari oportebat, ad tertiam non aliter quam duplicando licitatores admittebantur. Istas verò triplicationes aut duplicationes in tanta summa proponere solent præfetti huic rei, in quanta ipsis visum fuerit aut æquum judicant. *vid. Gr. Conf. l. X. t. 17, in margine.* Atque hæ solennitates



nitates & si quid aliud in elocandis redditibus publicis præscriptum est ita præcisè observare tenentur ij quorum curæ negotium subjacet, ut uno vel altero omisso ipsum negotium pro infecto haberi possit. v. l. 5. C. de legibus.

XVIII. Tempus adjudicationis & elocationis olim incipiebat primo die junij, ipsa vero perceptio la jouissance primo die Octobris. Sic ut triplicare licebat usque ad ultimum Augusti, & duplicare usque ad ultimum Septembris. Post quod tempus nulli amplius permittebatur licitando vincere, sive triplicaverit sive duplicaverit precium, nisi illis qui triplicatione aut duplicatione antea victi sunt: his enim licet intra Octiduum simplicem licitationem addere, atque sic rursus vincere illos, à quibus antea triplicatione aut duplicatione victi fuerant. v. gr. Conf. l. X. t. XVIII. post §. 6. in Col-lat. atque eodem beneficio gaudere debent Socii firmiariorum G. C. l. X. t. 17. §. 20. in margi. Hodie plerumque tempus adjudicationis primus dies januarij est, dies vero perceptionis & usus primus aprilis. Atque sic ferè in Gallia. Qua in re tamen variari atque res moribus aut commodo Reipublicæ accommodari potest.

XIX. Præterea non sine fidejussoribus tales redditus publici elocari possunt: Sed à Firmiariis idonej ad hoc offerendi sunt. l. 9. pr. D. de publ. & vectig. quod expressum quoque est in sæpius allegata Constitutione CAROLI V. R. G. illis verbis *Tous Esleus seront tenu de bailer les fermes à bons gens & suffisans, ou qui soient sibi en applez. que le Roy n'y puisse avoir dommage* d. G. Con. l. X. t. 17. §. 3. Et si administratores, fidejussores accipere neglexerint, damnum inde factum ex propriis facultatibus refarcire tenebuntur. l. 1. C. de locat. prædior. Civil. XI. l. 7. C. de fund. patrim. XI. Non minori quoque quam triennij spatio concessio reddituum publicorum concludenda est, quo peracto licitationum jura recreari oportet & alijs simili modo locari l. 4. C. de vect. & com. Atque hoc videtur constitutum ne statim ob diminutionem magnam reddituum unius anni, fiscus remissionem precij præstare teneatur, sed illud damnum ubertate sequentium annorum rursus compensari possit. Fieri tamen potest in plures annos. l. 3. §. 6. D. de jur. fisci. l. 7. C. de locat. jus enim tan-



tantum prohibuit ne minori spatio concluderentur. In redditibus Ecclesiasticis tamen illud non procedit, hi enim non debent concedi in longum tempus, sed in modicum, & ita ne isti fortè in feudum vel alienationem abire possint, *C. 2. X. locati.* Hoc verò modicum tempus definitum est in tribus annis per *Extrav. ambitios. de rebus Ecclesie non alienandis.* Denique notandum quod precium prænumerari debeat, & quod plerumquè de trimestri in trimestre solvatur, aut eo modo quo ab initio Contractus conventum. *G. Conf. L. X. t. 17. §. 3. in marg.* Et quod post concessa hoc modo privatis jura exigendi vectigalia aut alios redditus, publico libello proponi atquè determinari soleat; cum quantitas tum qualitas vectigalis aut redditus, ne ulla fraus hætenus à Firmiarijs committi possit. Galli has ordinationes vocant le Tarif.

XX. Intentio hujus negotij, quemadmodum in genere cum cæteris Contractibus convenit, ut scil. rerum usus sine alterius partis in commodo inter homines communicetur. vid. *Wesenbec. paratit. T. locati. §. 9.* ita specialiter in hoc Contractu illud intenditur, ut proventus & redditus mei per varietatem casuum satis incerti, certiores imo etiam majores reddantur. Commodius enim est quod primum attinet, sive in re privatâ sive in re publicâ casum supponas, redditus meos esse certos, hoc enim modo facilius expensæ istis accommodari possunt, ne fortè hæ illis majores evadant, atquè sic incerta spes meorum reddituum eludatur. Majores etiam ut plurimum redduntur, certè nunquam minores, si annus cum anno compensatur: Sive enim redditus in modum vectigalis, sive Decimarum, aut etiam ex causâ Ususfructus aut Dominij, aut quocunque tandem alio ex jure mihi solvantur, semper tamen aliorum fidei me permittere cogor, cum horum qui solvere debent, tum illorum, quibus exactio atquè inspectio deman data est; quam fraudulenter autem ipsi debitores sæpiùs agant, illis patet qui in vita communi versati sunt: Inspectores verò seu exactores, itidem tantam diligentiam in excutiendis rebus nunquam adhibent, quam fortè tenentur. Econtra verò si res hætenus enarrato modo elocetur, tales fraudationes non ita frequentes sunt, cum Firmiarij dici non potest quanta



ta cum cura ac circumsp̄ctione rei utpotè suæ insistant, sic ut debi tores cautius solvere incipient, atquè brevi tempore au-ctio reddituum sperari possiti nec quoquè opus fuerit aliorum fidei se ulterius permittere. Et tandem remedio illo licitatio- nis solennis, ubi semper alius alij utilitatem præripere stude- bit, reditus justa atquè ad utilitatem proportionata pensione commutabuntur. Secundò non levis utilitas etiam illa est, ut pecunia præsentis atquè in justa summa si opus habeam, sta- tim gaudere possim, atquè sic necessitates meas, ob quas fortè alienandum aut vendendum quid esset, vincere; cum aliàs pau- latim atquè minutim reditus ut plurimùm colligantur; pa- rata verò pecunia instructum esse (anticipari enim solet) quan- tum commodum sit in re privatâ puto omnes videre, at in Republicâ momentum quantum inde dependeat vix satis ex- primi potest. Hæ verò utilitates locatores tantum tangunt, in partem verò Firmarij hoc commodi adfluere solet, ut rem suam etiam propter prudentem industriam adhibitam absquè nota augere possit.

XXI. Hoc modo Contractu ritè celebrato nascitur hinc inde tanquam effectus *mutua obligatio*. Quæ qua in re consistat nunc considerandum venit. Tenentur itaque contrahentes quod inter eosdem nominatim convenit, aut quid mos regio- nis fert præstare, l. 21. D. locat. l. 11. §. 1. D. de act. empt. l. 19. C. de locato. Si nihil specialiter conventum, Dominus tenetur Fir- miario quasi possessionem juris sui ita præstare, ut commodè sine damno frui possit. arg. l. 15. §. 1. D. locat. l. 19. §. 2. eodem. ubi tamen quid actum sit præprimis respiciendum, d. l. 19. Sæpè enim ita convenitur, ut fruens ipse suis sumptibus rem ita factam conservet, ne perceptio reddituum ipsi hætenus im- pediatur. e. g. Si proprijs sumptibus pontem reficere se obli- gavit, cum vestigal fortè quod pro transitu numeratur ad Fir- mam accepit. Omnia quoque impedimenta quæ à se pendent avertere debet, ne hætenus possessor in usu impediatur. De illis verò impedimentis quæ sine facto ad Firmam dantis, sed casibus fortuitis, hoc est ijs, quibus nullo hominum consilio res- sisti potest, uti appellantur in l. 6. C. de pignorat. act. l. 2. §. 7. D. de ad- min. rerum ad Civit. pt. contingunt, quid juris sit, atq; quis eosdem ferre



ferre debeat hic præcipuè quæritur? Et quamvis certum sit in simplici locatione ob talem casum fortuitum remissionem mercedis jure obtineri posse *l. 25. §. 6. l. 33. D. locat.* dubium tamen hoc alicui videri posset in præsentî Contractu; quod quasi ab initio videatur conventum esse, ut Firmarius casus ferre debeat, cum ipsius Contractus natura atquè de ejusdem essentia sit, ut incertum aliquod pro certo firmo atquè fixo alteri cedatur, atquè sic sub incerto isto, etiam casus fortuitos comprehensos fuisse facile quis concludere possit: accedit quod aliquando reditus sic elocati etiam multum excedant precium, jam verò æquitati quam maximè conveniens est, ut quem cujusque rei commoda sequuntur, eundem etiam incommoda sequi debeant & vice versâ *§. un. In. de leg. patr. tut. l. 10. D. de reg. jur.* His tamen non obstantibus in Gallia remissio ob tales casus fortuitos adprobatur. Sic enim habent verba constit. regis per LUDOVICUM XIII. emissæ art. 19. *Advenant guerre ou peste, qui apporte perte ou diminution à la dite ferme, nous permettons faire deduction de la dite perte, apres deüie verification par l'un de nos officiers qui pour ce sera par nous commis & deputé. G. Conf. l. X. t. 17. p. 1245.* Et in alia 30. Decembr. 1646. Parisijs emissæ art. 14. cum ulteriori extensione idem statuitur. Hoc modo; *S'il arrivoit guerre autre que celle qu'i est à present, invasion des Ennemis, dans quelques provinces sujettes aux dites aydes, ou bien peste, famine & sterilité, interdiction de commerce, ou autres notables empeschemens en la jouissance de la dite ferme, ou d'aucunes Generalitez, sera pourveu des rabais & diminutions raisonnables, presentant requeste, &c. G. Conf. l. X. t. 17. p. 1252.* Ubi breviter simul notari potest constitutiones has non ita restringendas esse, ut præter casus expressos non alij admittantur, sed extendi debent ad casus similes, uti est vis fluminum, incendium, ruina, &c. quod satis innuitur per ultimò citatæ constitutionis illa verba, quando dicitur *ou autres notables empeschemens.* Sic dici potest quod timor belli modo justus sit eodem modo excuset ut ipsum bellum arg. *l. 184. à contrario sensu desumpto D. de reg. juris. jung. l. 13. C. de transact. l. 27. D. locat. & infirmitas mentis quoquè ut furor refertur inter casus fortuitos in l. 22. §. 7. sol. matr.*

XXII. Quæ cum ita sint, ut tamen accuratius res consideretur,



deretur, puto sequentes distinctiones observandas esse, j. dist. an periculum casus fortuiti tempore conventionis jam adsit, ut à Firmiario facile prævidèri possit, an verò absit & demum post Contractum negotium inopinanter superveniat, quæ distinctio fundatur in l. 13. §. 6. D. de damn. infecto, & supra allegata constitutione regia illis verbis *S'il arrivoit guerre autre que celle qui est à present*. Priori modo omnino dicendum puto Firmiarium teneri casum ferre, quia rem in tali statu periculoso suscepit, ut tacitè quasi in periculum consensisse videri possit, cum non excepit, quod tamen excipere debuisset, sicquè culpæ propriæ adscribere debet, d. l. 13. §. 6. D. de damno infecto. Damna verò quæ quis ex culpa sua sentit, non intelligitur sentire, l. 203. D. de reg. iur. Posteriori verò modo ob dictas constitutiones atquè communem analogiam juris, deductio præcij admittitur, aut si jam solutum sit ex æquitate refundi debet. Secundo dist. inter Contractum ad Firmam perpetuum & temporalem. Perpetuum autem dico, cum redditus certæ alicui societati, elocantur in perpetuum, quæ quamvis personæ intereunt quæ ab initio Contractus adfuere, in successoribus tamen eadem societas semper repræsentatur. In hoc itaque perpetuo Contractu, nihil ob casum fortuitum remitti debere puto: quia cum res in perpetuum fuit concessa, certum quasi est aliquando casum aliquem fortuitum extitutum esse, sicquè ab initio statim hoc prævidèri potuit, adeoque talis qui sic scire potuit vel saltem debuit, nunquam poterit prætereundè casum hunc sibi inopinanter evenisse, quamvis enim in specie nesciverit hunc vel illum fore, in genere tamen illum latere non potuit, aliquem saltem eventurum esse: Cum itaque ab initio Contractus, id quod eventurum esse facile præsumi potuit, per expressam exceptionem aliquam non declinatum fuit, in illud tacitè quoquè consensum esse videri debet: accedit quod cum perpetuo redditus concessi sint, multi anni venire possint, qui in ferendis redditibus adedò uberes sunt, ut justa compensatione facta, damnum quod propter casum fortuitum prioribus annis contigit, inde facile resarciri possit: nam & in simplici locatione non aliter remissio ab casum fortuitum conceditur, quam si nulla major solito ubertas vel antecesserit.

rit.



rit vel secuta fuerit, hoc enim si factum fuit, annus sterilis cum ubertate vel præcedentium vel consequentium annorum compensatur. v. l. 15. §. 4. *D. locat. l. 8. C. eod.* Sed hoc secus se habet ubi Contractus temporalis atque in paucos annos fuit conclusus, quippe ibi Firmiarius nec casum fortuitum præsumere credendus, nec quoque facile continget, ut unus annus ob ubertatem cæterorum damna refundere possit. *Tertio* distinguendum cum Bocero *Class. 4. D. 3. th. 7.* an in singulos annos certa pro redditibus pensio promissa sit, & tum sanè pensioem ob casum fortuitum deductionem admittere dicendum est, nisi aliunde per supra jam allatas distinctiones impediatur, nam hætenus contractus ad locat. conductionem propiùs accedit: Si verò per aversionem jus exigendi redditus unâ pecuniæ summâ definitâ, sit concessum, nihil ob casum remittitur, cum Firmiarius potiùs emptor sit, in emptione autem simulac contractus perfectus est, periculum s. Casus fortuitus ad emptorem spectare dicitur in §. 4. *Inst. de empt. l. 1. 7. 8. D. de per. & commod. rei vend.*

XXIII. Sed num uti ob casum fortuitum per quem redditus maximè deminuti sunt à pensioe quandoquè quid ex æquitate decucendum venit, ita è contrario si fortè per casum fortuitum solito aucti sunt, pensio quoque hujus gratia addidamento augeri possit quæritur? Ita quidem ab initio naturæ contrariorum id postulare alicui videri posset. Negativa tamen sententia verior est, propter arg. l. 25. §. 6. *D. locat.* Ubi expressè dicitur quod conductori immodicum lucrum non auferatur, adeoque nec illi qui hætenus conductori similis est: Deinde planè diversa ratio est Domini reddituum à ratione Firmiarij, hujus enim causa favorabilior est, quippe qui propter casus calamitosos remissionem postulat, quam Domini qui ex redditibus multum auctis pensiois quoque augmentum petit, dum prior de damno vitando posterior verò de lucro captando anxius sit.

XXIV. Firmiarium posse in certis casibus remissionem petere, dixi: Sed hoc intelligendum, si res adhuc percipienda; ubi verò redditus jam semel percepit, atque in suâ potestate & possessionibus istos habuit, qui tamen casu postmodum ipsi intervertuntur, hujus gratia remissionem petere non potest, quia



jam tum sunt in Dominio ejus & ad instar aliarum possessionum ipsius periculo subjacent. v. l. 12. C. de locat. Sic se res habet quando nihil expressè de casibus conventum; aliàs enim potest quis ab initio contractus per pactum casum in se recipere, per l. 7. §. 15. D. de pactis. quale pactum tamen de casibus solitis intelligendum, non verò ad insolitos planè extendendum esse, communis Doctorum opinio est, teste Gailio. 2. O. 23. n. 18. per l. 78. §. ult. D. de contrah. empt. Arquè hætenus de impedimentis à casibus fortuitis, quibus nemo resistere potest venientibus. Quod si verò Firmarius à tertio saltem in usu impediatur, interest, num à tali homine prohibeatur frui, quem Dominus reddituum prohibere ne id faciat, possit: Et tum Dominus non tantum remissionem ei facere tenetur pro rata temporis, quo frui non potuit, sed & ei præstabit quanti ejus interfuit impeditum in usu non fuisse: quod si verò à tali impeditus fuerit quem propter vim majorem, ne Dominus quidem prohibere potuit, nihil amplius quam precij remissionem, aut si jam solvit refusionem Firmarius petere debet. v. l. 33. D. locat. quo in casu poterit tamen & Firmarius contra ipsum in quietatorem ex interdicto agere l. 1. D. de loco publ. fruend.

XXV. Impensas quoquè si quas utiliter in rem fecit Firmarius, jure repetere poterit, si scil. ad perpetuam rei utilitatem pertinent, aut sine his perceptio rei impediatur. arg. l. 7. §. 16. D. sol. matr. Dominum enim teneri usum rei ita præstare Firmario, ut sine damno uti possit, jam supra dictum. per l. 15. §. 1. D. locati. l. 19. §. 2. D. eod. Itaque & illud refundere, quod ipse impendere debuisset, aut ad utilitatem rei pertinet, si ab alio jam impensum fuit. Imò & omnia illa admittere tenetur, sine quibus melior usus rei consistere non potest. Sic si vestigal aliquod ad Firmam datum sit, per hoc simul Firmario potestas data est, excutere omnes merces atquè resolvere, si tamen nihil quod prohibitum aut pro quo solum non sit invenerit, suis impensis illas rursus confarcinare atquè carris aut navibus, prout se occasio fert imponere tenetur. v. Gr. Conf. L. X. t. 7. §. 120. Tabernas ipsas quoquè aut per se aut suos commissarios visitare potest & hætenus ejusdem

com-



commissarij eadem potestate debent gaudere ac illi, qui auctoritate publica subnixi sunt. *Gr. Conf. L. X. 1. 7. §§. 115. 131. 136.* Quod si jam casus contingit, ut obnon solum vestigal res confiscetur, equidem Firmiarius præ cæteris omnibus sumere, quod ipsi ratione vestigalis debetur, potest: cæteræ verò merces commissæ non Firmiario, sed fisco cedunt, nisi ab initio fortè aliter conventum. *Gr. Conf. L. X. 1. 7. §. 121.* In illo verò conductores rerum fiscalium privilegio gaudent, quod non teneantur munera publica subire, ne scilicet extenuentur eorum facultates quæ fisco subsignatæ sunt, ex qua ratione evincitur, ut ne quidem ultrò se offerentes admitti debeant. *l. 5. §. 10. D. de jur. immun.*

XXVI. Quæritur, an Firmiario certi vestigalis quoque liceat illud diminuere cum damno Fisci? exemplum tale refert Amelung. *tract. de locat. rei dominica. p. 46. & 47.* ex Boxhornij disq. pol. desumptum. Amstælodami aliquando conductores vestigalium vini, in fine quo ipsorum Contractus expiraturus esset, dimidium vestigal remittebant; quo factum, ut quilibet in comparando vino se admodum liberalem atque promptum exhiberet; atque sic, quamvis vestigal non nisi deminutum accipiebant Firmiarij, tamen propter quantitatem vini venditi, quippe omnes etiam in sequentes annos sibi providebant comparatione vini, diminutio ista ita compensabatur, ut adhuc ingens lucrum facerent: quod sane non poterat fieri sine incommodo fisci, cum cives, utpote vino jam multum instructo, in sequentibus annis parciores in emendo erant, ut sic fiscus magna parte vestigalis in his annis defraudabatur. Ego si talis casus contingeret, quamvis nihil in conditionibus Contractus hac de re definitum esset, putarem tamen ipsius Contractus naturam non admittere talem fraudem: Contractus enim bonæ fidei est, quæ bona fides omnes rales subdolas artes quæ cum damno alterius contrahentis conjunctæ sunt excludit: jure itaque hæcenus inhibitiõ fieri poterit, qua in re tamen securius est, si ab initio in conditionibus conventionis certi quid hac de re determinaretur, uti putat Amelung. *d. l.*

XXVII. Obligatio Firmiarij, qui rem dicto modo ad Firmam

manu



*miam* accepit, consistit in eo, ut precium solvat eo modo, quo ab initio conventum, quod in illo Contractu qui publico nomine fit, plerumque fieri solet de trimestri in trimestre, uti supra notavi. Quod si in mora fuerit, etiam ad usuras solvendas tenetur: imo si debito tempore non solvit, statim expelli potest, conductionis tempore utut nondum impleto. *l. 10. §. 1. D. de publ. & vectig.* Quamvis quidam putent, talem expulsionem non expedire fisco, cum verendum, ne novus Conductor minus licitetur, & publicanus à futuris pensionibus liberetur, ideoque sequestrationem periculo Conductoris eligunt. Sed Amelung. putat, cum novo Conductori etiam periculo prioris concedi possit ac debeat vectigal, nullam differentiam esse, sive sequestratio eligatur sive nova conductio peragetur sæpius alleg. *tr. p. 76. an vero talem expulsionem propria autoritate quis facere possit?* digladiantur inter sese Doctores. Ego in applicatione ad hætenus explicatum Contractum puto: Si iste publicus fuerit, h. e. nomine Civitatis aut principis celebratus, quæstionem Supervacuum esse; Si vero inter privatos conclusus, convenientius legibus esse videtur, si jus illud expulsionis non nisi publica autoritate exerceatur. *v. l. 176. D. de reg. jur.* cum multa alias exinde exoriri possint, quæ publicæ securitati adversa sunt: ut sunt rixæ, pericula corporis & vitæ, &c: cur autem ad arma & rixam procedere patiatur prætor, quos potest sua jurisdictione componere, eleganter ratiocinatur Julianus in *l. 13. D. de Usufr.*

XXVIII. Nec porro debet à Contractu resilire Firmarius, sed usque ad finem temporis conventi eundem servare: *arg. l. 55. f. l. 24. §. 2. D. locat.* nisi habuerit justam ac probabilem causam; aliàs enim indemnem præstare tenetur Dominum *d. l. 55.* Si vero per id tempus quo alter deseruit, à Domino alteri res fuerit iterum elocata, sic ut nullum detrimentum inde sentiat Dominus, nihil Dominum ultra petere posse, æquius statuitur: cum nullum interesse allegare possit, & aliàs bono & æquo non conveniat, aut lucrari aliquem cum alterius damno, aut damnum sentire quem per alterius lucrum. *l. 6. §. 2. D. de jur. dotium.* Nec infringit hætenus regula juris, damnum quod quis ex sua culpa sentit non intelligitur sentire. *l. 203. D. de reg.*



*reg. jur.* hoc enim limitatur, nisi alter per hoc damnum inju-  
stum lucrum acquireret: facit quoque huc argumentum à lo-  
catione operarum petitum, in qua eodem modo observatur,  
per *l. 19. §. 9. D. locat.* Si vero principalis debitor non solven-  
do existit, fidejussores conveniuntur, & quidem si in totam  
rem fidejusserint, etiam pro usuris tenentur, quod secus est, si  
tantum pro summa precij prædes sese interposuere, aut pro-  
priè quid in persona eorum verbis obligationis expressum sit.  
*l. 54. p. D. locat. l. 2. §. 12. D. de admin. reru. ad civ.*

**XXIX.** Effectus specialis est conductoris rerum fisca-  
lium quod non possit in fraudem fisci acquisitionem omittere  
*l. 45. pr. D. de jur. fisci* quod alias inter privatos debitori licet  
*l. 6. pr. & seqq. D. quæ in fraudem eredit.* Et quod fiscus Conductoris  
sui bona etiam futura obligata habeat & in illis etiam ante-  
rioribus hypothecarijs præferatur per *l. 28. D. de jur. fisci.* Nec  
actio & hoc contractu cum fisco inito resultans, alibi quam  
apud ipsum principem & summum Magistratum, aut eos qui-  
bus hoc commissum institui potest. *t. t. C. ubi causa fiscal. con-*  
*tra communem regulam,* quod nemo possit in propria cau-  
sa judex esse, quæ habetur in *l. 1. C. ut nemo in causa propria jus*  
*dicat.* Fiscus enim semper trahit causas ad suos judices *l. 2. C.*  
*si adversus fiscum.* Imo & illas quæ saltem dependentiam à Fisco  
habent. *l. 4. C. ubi causa fisc.* Olim hoc judicium fiscale procu-  
ratori Cæsaris commissum erat. *l. 1. C. ubi cause fiscales.* Hodie  
instituantur certa judicia, quibus cura rerum fiscalium com-  
missa. Sic in Gallia tale judicium vocatur La cour des ay-  
des, la chambre des Comtes, la chambre du thresor. In Regno  
Neapolitano vocatur regia Camera summaria, alibi aliter.  
vid. Amelung. *tr. de locatione rei dominice p. 60. & seqq.* Illud &  
specialis est effectus in hoc contractu publico nomine cele-  
brato, ratione sociorum: quod quamvis in cæteris societati-  
bus morte unius socij societas solvatur ut non possit in here-  
de continuari, in societate tamen vestigalium, morte socij re-  
manet societas, & in heredem transfertur, nisi fortè talis so-  
cius mortuus sit, propter cujus operam maximè societas coita  
est, aut sine quo societas administrari non potest. *l. 59. D. pro*  
*socio.*

D

XXX. An-





XXX. An tales Conductores fiscales bonis cedere possint? quæstionem inter se movent Doctores: qui affirmant, adducunt *l. 5. C. qui bonis ced. poss.* Sed ex illa lege non evincitur quod intendunt. Amelung. *tract. de locat. rei dominicæ p. 76.* Qui simul pag 77. notat quod jure Hispanico cessionis beneficium expressè *arrendatoribus* & eorum fidejussoribus præclusum sit, & quod ab initio Contractus juramentum præstare teneantur, se cessionis beneficio non usuros, nec hujus gratia relaxationem juramenti petituros.

XXXI. An *L. 2. C. de rescind. vend. locum hic habeat?* quæri potest: non facile eidem locum esse posse putarem, natura enim hujus Contractus ita comparata est, ut certum pro incerto permutetur, ubi autem pro incerto aliquo convenio, quomodo possum prætere lætionem ultra dimidium, cum lætio talis ab initio statim adesse atque apparere debeat: nam si lætio demum ob casus subsequentes contingit, non locus est beneficio *d. l. 2.* Sed res ex alijs principijs dijudicatur, quod jam supra à me certis allatis distinctionibus discussum est. Secundo nec modus quo hic Contractus plerumquæ celebratur, videtur velle admittere talem præteritionem: Cum enim mediante auctione publica fiat, vix est ut lætio ultra dimidium contingere possit, quippe propter numerum licitantium, qui rem exactè æstimant, non potest quin res justum precium sortiatur, ad minimum dimidium valorem reddituum excedet, non obstat. *l. 16. C. de resc. vend.* Casus enim specialis atquæ multis circumstantijs diversus à generalitate meæ thesisi est. Si tamen casus se proderet, qui tamen difficulter continget, ut statim ab initio certum esset, redditus non posse dimidium valorem precij exæquare, cum nunquam tantum tulerint, æquius censeo, si tum locus detur dicto beneficio.

XXXII. De contrarijs, ut dolo, metu & similibus, forma speciali quoque non ritè observata, ut per se cognitum atquæ in omnibus fere Contractibus notari solitis, hic plura dicere supersedeo. Affinibus quoquæ ut locationi simplici, admodiationi propriè sic dictæ, locationi operis ad Firmam seu per aversionem, &c. nolo hic diutius immorari, præ-

primis



primis cum supra in notatione nominis jam quædam de his attigi.

XXXIII. Hoc modo itaque contrahendi absolvitur dictum negotium, hisce obligationum vinculis adstringitur: Contractus certe suas utilitates, præprimis ille qui publico nomine fit in Rempublicam adferens; non tamen plane suis incommodis carens: quemadmodum enim cætera negotia humana imperfecta sunt, ita hoc quoque labe ista naturali infectum est: quæ verò incommoda si non prudenti solertia aliquo modo declinantur uti certè possunt, plus hætenus derrimenti quam emolumenti in Republ. inde sperare poteris: Hominum enim istorum, qui sic ex publicis redditibus lucrum quærunt, jam olim magnæ audaciæ atque temeritatis factiones fuisse, sic ut prætorio Edicto compescere opus fuerit, Ulpianus memorat in *l. 12. D. de public.* Solent enim isti homines nimium plerumque avaritiæ studere, atque sic varias vias quærere quo istam exfatiare possint: Hinc cum imprudente plebe nimis acerbè quandoque agunt, in exigendis vectigalibus & alijs redditibus publicis qui dicto modo ipsorum arbitrio relictæ sunt, atque in casum tergiversationis, per modum concussionis, & alijs varijs ludibrijs eo adigere istam satis scite norunt: jam verò ad concitandam multitudinem nihil planius est, quam ejusmodi injustæ exactiones & extorsiones quare bene hac in parte invigilandum est, & non de nihilo erit, si in quovis loco, ubi vectigal solvitur, publicæ tabellæ affigantur, in quibus notatum sit, quid quomodo & quantum pro qualibet re pendi debeat, atque si contraventum fuerit, pœnis & quidem non levioribus (jure Romano perpetuo exilio damnabantur, per *l. pen. C. vect. nova inst. non.* quæ lex omnino introduci meretur) in tales audaces atque temerarios animadvertatur: quod si bene observatum fuerit Contractus, qui alias propter dictam audaciam atque temeritatem Firmiarjorum vulgo odiosus esse solet non tantum justus sed & perutilis erit.

XXXIV. Atque hæc sunt (utor verbis Boëtij, veteris Philosophi Christiani in *l. de persona & natura contra Eutychen C. 8. f.*)

D 2

quæ





*qua de Contractu ad Firmam scripsi, qua in re si quid perperam dictum est, non ita sum amator mei, ut ea qua semel effuderim, meliori sententia anteferre contendam. Si enim nihil est ex nobis boni, nihil est, quod in nostris sententijs amare debeamus: quod si ex illo cuncta sunt bona, qui solus bonus est, illud potius bonum esse credendum est, quod illa incommutabilis bonitas perscribit.*

**CUI SOLI SIT LAUS HONOR ET  
GLORIA IN OMNIA  
SECUA.**





ULB Halle  
006 681 956

3




V077











B.I.G.

Farbkarte #13

... D. (16. 47. 17)  
 INAUGURALIS <sup>12</sup>  
 DICA. <sub>1687 A.</sub>  
 A T I O N E  
 R A C T U A D  
 I A M  
 A M  
 S U M M O  
*ic Autoritate*  
 in Universitate Argen-  
 rum Collegij  
 E N T I A  
*honores & privilegia*  
*ne Consequendi*  
 amini proposuit  
 EDLER. Arg.  
 DC LXXXVII.  
 ...  
 O R A T I,  
 HELMI TIDEMANNI,

Recusa 1724.

1,  
(5)

